

*Eius scripta pta memoriae causa in Philologica & Philosophica philologi- partiri licet. Ad Philologica, in genere sic appellata, ca. referri possunt libri ejus ad artem Oratoriam pertinentes, ipsae itidem Orationes in senatorias & fo- rentes divisæ, quarum sex & quinquaginta mini- mum hodie superstites sunt, & denique Epistolæ ad Quintum fratrem, M. Brutum, T. Pomponium Atticum, & Familiares perscriptæ. Dico scripta philologica in genere sic appellata, non ignoramus enim in his etiam operibus res plurimas, quas phi- losophia sibi assumit & vendicat, reperiri; id quod B. Lutherum non præteriit alicubi scribentem: E- pistolas Ciceronis a nemine recte intelligi posse, ni- si viginti annos in insigni aliqua Republica versa- tus sit: quodque ex Hubertini clerici Crescenti- natis, nec non Pauli Manutii commentariis lucu- lentissimis fatis appareat, quæ lucubrations quic- quid in epistolis Tullii ad familiares ad pruden- tiam moralem, civilem, bellicam, ad historiam præterea & antiquitatem ævi Ciceroniani spectat, lectori copiosius exhibent. Atque inter hæc ipsa quidem scripta philologica, judice Justo Lipsio, li- ber qui *Orator ad M. Brutum* inscribitur, cæteris præfertur. Ciceronem, inquit Lipsius *Lib. I. Var. Lect. Cap. VII.* ego in meis scriptis, admiratione quadam divini istius ingenii commotus saepius fortasse laudo quam aut res postulat, aut apud eru- ditos necesse est. Sed hoc quidem loco quodammodo facere meo jure videor, si eum librum cum laude & honore commemorem, qui & unus inter omnes*